Phil. Bibl.
Oriel Coll:
Oxon

J/12301 m 3
1-2

ORATIO

Habita in Theatro Sheldoniano

Idibus Aprilibus, MDCCXLIX.

EDITIO ALTERA.

BRITISH MUSEUM

ORATIO

IN

THEATRO SHELDONIANO

Habita Idibus APRILIBUS, MDCCXLIX.

DIE DEDICATIONIS

BIBLIOTHECÆ RADCLIVIANÆ.

Suſcepto negotio, majus mihi quiddam propoſui, in quo meam in Rempublicam voluntatem populus perſpicere poſſet. CICERO.

LONDINI,
Apud J. CLARKE, & W. OWEN.
OXONII,
Apud J. FLETCHER, & S. PARKER. MDCCL.

SPERO ME IMPETRARE POSSE AB ERUDITORUM OMNIUM ÆQUITATE, UT NEQUIS, ME INVITO, HANC ORATIONEM IN SERMONEM PATRIUM VERTAT.

BRITISH MUSEUM



NOBILISSIMIS & ILLUSTRISSIMIS

VIRIS,

CAROLO NOEL Duci de *Beaufort*,

EDVARDO Comiti de *Oxford* & *Mortimer*,

GUALTERO WAGSTAFF BAGOT *Baronetto*,

WATKIN WILLIAMS WYNN *Baronetto*,

EDVARDO SMYTH *Armigero*,

JOHANNIS RADCLIVII, *M. D.*

Teſtamenti Curatoribus;

Bona, læta, & proſpera omnia precatus,

Hanc ORATIONEM

D. D.

GUILIELMUS KING.



ORATIO.

Elegatum hoc mihi officium quum minimè ſuſcipiendum eſſe putarem, quippe verebar infirmus et oblivioſus ſenex, et climactericum jam excedens annum, ut quid dignum aut judicio veſtro, ACADEMICI, aut elegantiâ illuſtriſſimi hujus cœtûs proferrem; ſanè quidem adductus ſum eâ, quâ vos me ſemper

profequuti eſtis benevolentiâ, et * ampliſſimorum virorum et optimorum civium admonitu, qui ſemper mihi pro ratione ſufficiet, ut nequâ hodie aut valetudinis aut ætatis meæ excuſatione vellem uti.

HANC extrêmam igitur à vobis veniam peto: at, quoniam oratorium iſtud mihi deeſt ingenium, quod in templis, in foro, in ſenatu magno dominatur; quod optimè ſuis commodis inſervit, nunc grandem ſibi conficiendo pecuniam, nunc aditum faciendo ad omnes honores reipublicæ; ipſe præcipuè nitar, neceſſe eſt, (et vos concedite) libero illo ſpiritu, quem jam à primâ adoleſcentiâ nunquam mihi abfuiſſe liceat gloriari; qui amare patriam, venerari Academiam nunquam deſiit; quique vires et facultatem ſuppeditare, et ſermones meos, ii qualeſcunque ſunt, dictare, et regere ſolet.

* RADCLIVIANI teſtamenti curatorum; qui etiam aſſenſu et judicio ſuo hanc orationem comprobârunt: quo nihil mihi jucundius poſſet accidere, nihil majori laudi et præſidio mihi fore duco.

NEQUE ego quenquam arbitror aut malos viros ſatìs rectè reprehendere, aut bonos ſatìs dignè laudare poſſe, niſi qui firmatâ ſit mente et ſimpliciſſimâ; qui fortiter et conſtanter ſentire, liberè ſed pudenter loqui ſe aſſuefecerit; quique à potentibus iſtis, penes quos eſt ſumma rerum, petat nihil, ſperet nihil, et recti verique ſibi conſcius metuat nihil.

SUNT enim, quos cùm offenderit omnis vituperatio et reprehenſio alienæ culpæ, utpote in ſe ipſos facilè derivandæ, tum neque illis jucundæ erunt alienæ laudes, quibus quis veriſſimis juſtiſſimiſque ornatur, ut quæ ſibi et ſuis moribus et rebus geſtis haud quidem aptæ ſint et conſentaneæ.

NAM laudatio, quanquam eſt orationis genus minimè contentioſum, ſemper tamen exagitat, et

pungit improbos, invidos, ingratos, avaros, et iſtos omnes, qui diſſimillimi ſunt eorum, qui laudantur; nî fortaſſe tales ſint, ad quorum aures nihil de infamiâ ſuâ pervenerit, aut quorum animis malæ conſuetudinis vis inveterata callum obduxerit.

ATQUE hodie, cùm in hac magnificentiâ rerum ad RADCLIVII laudes celebrandas accingamur, cùm immortalia ſua beneficia in nos collata commemoremus, abeſſe non poteſt, quin pecunioſiſſimi iſti homines, medici, juriſconſulti, reverendi iſti ſacerdotes ac reverendiſſimi, qui omnia almæ huic Academiæ debent, nihil tamen reddunt, ſibi exprobrari ſentiant de immemori officio.

RECTE ſanè, veréque ſentiunt. Neque tamen cauſa convitii quæritur, neque poſtulatum eſt, ut ii, qui RADCLIVIUM opibus et cenſu æquant,

eum

eum etiam naturæ dotibus et virtutibus ingenii exæquent. Satìs præſtant Oxonienſes alumni, ſi ſe gratos præbeant optimæ parenti. Dent pro facultatibus: dent decimas: dent viceſimas: ſaltem, hôc adverſiſſimo Academiæ tempore, dent operam et auxilium; et in annalibus noſtris benigniſſimi liberaliſſimique habeantur, et prædicentur.

Is enim magno, excelſo, et prope dicam, divino ſit animo oportet, qui RADCLIVIUM æmulari cupiat, ſeque immortalitati et ſempiternæ gloriæ commendare tam incredibilem liberalitatem pietatemque imitando: vir qualis ſemel anno centeſimo naſcitur; et, ſi privatus eſſe debeat, ſemel ſexcenteſimo. Et mehercule iſthæc, * quam modò contemplati ſumus, perampla et magnifica

* Pompa Academica ex bibliothecâ *Radcliviana* in theatrum *Sheldonianum* deſcenderat.

bibli-

bibliotheca regium eſſet aut principum virorum opus, ſi olim fuiſſet; quum principes eſſent munifici, quum literarum fautores, quum ipſi etiam bonarum artium ſtudiis haud mediocriter imbuti; quum tale monumentum extruendo ſe humano generi optimè conſuluiſſe intelligerent, et maximum beneficium tum accepiſſe, ſi doctis et benè merentibus darent.

QUINETIAM hanc, et alias omnes RADCLIVIANAS donationes ideo vobis gratiores fore exiſtimo, quòd pecunia omnis, quæ erogata eſt (erogata eſt autem non temerè, aut impetu quodam, ſed optimo animi judicio) in iſtas ſumptuoſas ædes, * in collegium Univerſitatis, in alimenta

* Supra veſtibulum collegii Univerſitatis collocata eſt RADCLIVII ſtatua, in cujus baſi hoc inciſum eſt elogium:

En intra ſua mœnia votiva RADCLIVIUM!
Qui Collegium hoc
Divino ingenio alumnus olim ornavit,
Benevolentiâ dein, quoad vixit, ſummâ fovit,
Munificentiâ pari moriens amplificavit.

Aca-

Academicorum, qui quinquennium in nobili peregrinatione conſumere jubentur, haud quidem conſtructa et coacervata fuerat furtis et dolis, aut turpiſſimis venditionibus, aut iniquiſſimo fœnore, aut hæredipetarum artificiis, nedum rapinis, et bello piratico; ſed benè et honeſtè parta, laboribus et vigiliis, virtute et doctrinâ, et eâ gloriosâ arte exercendâ, quæ morbis et incommodis hominum medetur, et quam propter beneficium et excellentiam omnes gentes, reges, nationes deo auctori conſecratam eſſe voluerunt.

At verò hunc egregium medicum adeò prædiis et argento locupletatum fuiſſe, minimè quidem eſt mirandum; cui, quaſi ipſi Æſculapio, omnes undique dona afferebant, ab illo, tanquam ab aliquo numine, medicinam et curationem petentes: quippe qui non modò ea omnia, quæ ad

hanc

hanc medendi ſcientiam pertineant, ſummâ animi ratione viſus eſt comprehendere; ſed ſanè in homine inerat cùm magna quædam vis et ingenii acumen, tum ſagacitas tanta in morborum cauſis inveniendis (ſive id à naturâ habuit, ſive à doctrinâ) ut certam ægris, qui ſanabiles eſſent, daret ſalutem. Atque adeò, cùm quædam fortaſſe communia RADCLIVIO cum præſtantibus ſui ſeculi medicis fuiſſent; eruditio, prudentia, humanitas, hoſpitalitas: hoc certè præcipuum ejus fuit, quod ingraveſcentes morbos quàm acutiſſimè ſemper præſenſerat *. Ad hæc tam ſimplici et aperto erat pectore, ut, abhorrens ab aliorum conſuetudine, nihil ſimularet aut diſſimularet, nihil ægrotantibus ſycophantiosè faceret, aut diceret ad captandum favorem, ne regibus quidem; ſed

* In hâc re non pluribus moror; de quâ vir eruditiſſimus, qui ante me dixit, et ipſe ſanè fidelis et peritus medicus, ornatè diſſeruit, noſque docuit, quàm acutè RADCLIVIUS noſter conjiceret morborum omnium naturam.

ex animo omnia, planiſſimè veriſſiméque. Ex quo illud aſſequebatur, ut fides ſua et integritas eſſet ſpectatiſſima; utque ii, quibus remedia adhibebat, res familiares et domeſticas placidè et ordinatè diſponerent; liberis, propinquis, amicis benè conſulerent; et, ſive convaleſcerent, ſive mortem obirent, ſumma gratia illuſtri medico haberetur. Quamobrem non modò opinione vulgi, ſed graviſſimorum virorum judicio, is cùm in arte ſuâ, tum etiam in civitate ſuâ primas facilè tulit: et, quanquam in Britanniâ noſtrâ ſemper floruerunt, et nunc florent medici peritiſſimi doctiſſimique, conceſſum tamen ab omnibus arbitror, neminem quemquam ad RADCLIVII famam olim proceſſiſſe, aut poſthæc proceſſurum.

SED et hanc ſuam famam et gloriam ſummam, et poſſeſſiones et ſpes ſuas omnes vir optimus do-

navit pietati; quæ ſola iſtud, quo deceſſit, et quo rempublicam et Academiam ſibi hæredem inſtituit, honeſtiſſimum ſcripſit teſtamentum. Ex quo fit, ut, poſtquam corpora hominum deſiit ſanare, ψυχῆς ἰατρεῖον, ad exemplum magni illius * regis Ægypti, civibus ſuis paraverit. Ex quo fit, ut mors ejus, quàm vita (laudatiſſimè licet hæc fit acta) fuerit illuſtrior; unâ re tamen exceptâ, quam leviter mox attingam. Porrò autem in magnâ ejus laude ponendum eſt, quòd ſedulò cavit, ut hujus teſtamenti jus in omne tempus firmum et inviolatum foret probatiſſimos eos cives deligendo, qui voluntatem defuncti religioſiſſimè cuſtodirent, et providendo, ut iis à ſimilibus ſemper ſuccederetur.

QUA verò curâ, et quo prudenti conſilio id proviſum

* OSYMANDUAS *Ægypti rex inter alia opera præclara ſacram bibliothecam ſtruxit, et in ejus fronte præſcripſit,* ψυχῆς ἰατρεῖον, ANIMI MEDICA OFFICINA. Sic Lipſius ex Diodoro in Syntagmate de Bibliothecis.

viſum ſit, omnes nos quidem ſcimus, nec quiſquam dubitabit, ſi in eos intueatur, qui res RADCLIVIANAS nunc adminiſtrant, et RADCLIVIANAM bibliothecam exædificandam, atque hodie dedicandam curârunt. Qui enim viri! qui cives! qui ſenatores! quàm illuſtres, graves, diligentes! Quàm —— Sed eorum verecundiam, quum ipſi interſint meo ſermoni, non auſim laudibus coràm onerare eximias ſuas virtutes prædicando: quarum et voſmet ipſi, ACADEMICI, univerſis veſtris ſuffragiis decretiſque ampliſſimum teſtimonium olim tribuiſtis. Pertinet autem ad exemplum dicere; ſiqui, præſtantiſſimis hiſce viris ſimiles, excellentem animum omni liberali doctrinâ excoluerint, cui etiam acceſſerit ſumma vitæ integritas et elegantia, mira comitas ſuavitaſque morum, et, quod caput eſt omnium, ſingularis in patriam amor, et perpetua in hanc Academiam be-

nevolentia; ii ſibi concilient neceſſe eſt eam dignitatem, quæ eſt maximè expetenda, gratiamque bonorum omnium, non modò civium ſuorum eorumque, quibuſcum neceſſitudinem conjunxerint, ſed quibus nomine et famâ noti fuerint.

Mirum eſt igitur, ni indoluerint Academici noſtri, prudentiſſimis hiſce et integerrimis Radcliviani teſtamenti curatoribus haud concedi poteſtatem eligendi bibliothecarium ſuum. De hâc re aut malè judicâſſe, aut planè errâſſe videtur Radclivius noſter. Quid enim? Quibus tot poſſeſſiones, tanta pecunia ac tota hæreditas credebatur, nonne iis alia omnia eſſent concredenda? Sed lubricus mehercule hic eſt dicendi locus, neque plura nunc adjicere mihi commodum erit: ſed neque apud vos, ſi in egregio hoc medico aliquid ſit reprehenſum, minùs valeat opinio aut liberalitatis ejus aut pietatis.

NUNC verò, dum ſuperbam et ſplendidam hanc bibliothecam admiramur, vobis, VIRI ILLUSTRISSIMI, liceat adjungere veſtrum tanti operis miniſtrum, clariſſimum ſcilicet * architectum; cujus conſummatam artem et hoc ipſum opus, et cætera lautiſſima ædificia, tum publica tum privata, quibus extruendis ille præfuit in Londino, in Cantabrigiâ, atque in aliis hujus inſulæ locis celeberrimis, ſatìs oſtendunt, commendantque. Ego verò, ſicut meretur, hominem amo veterem meum hoſpitem, quem humaniſſimum et amiciſſimum cognovi, et non modò architecturæ, ſed omnis vetuſtatis et multarum rerum benè peritum.

DE fructu diuturno hujus donationis, et honeſtis opportunitatibus utilitatibuſque publicarum, quotquot ſunt, bibliothecarum, mitto loqui. Idcirco mitto, quia id ipſum viri ingenioſiſſimi, quo-

* JACOBUM GIBBS.

rum eſt officium Bodleio noſtro laudes anniverſarias dicere, accuratis politiſque orationibus ſæpe vobis explicârunt, ſæpe etiam explicituri: et quia eſt omnibus perſpicuum ſine his adjumentis nos ex moribus noſtris Britannorum veterum, Saxonum et Normannorum barbariem non delere, aliorum non ferre potuiſſe. Immo etiam abſque hâc unâ re foret, non modò omnium gentium hiſtoriæ, annales, chartæ, monumenta et acta publica, ſed ingenuæ artes, deliciæ et gloria veſtra, ACADEMICI, et reconditarum literarum ſtudia, et omnium magnarum rerum ſcientia jamdudum fuiſſent extincta.

ITAQUE verbis exprimere non poſſum, quantum debeamus doctiſſimis et munificentiſſimis illis viris, qui ad conſtituendas Academias, ad ædificandas ornandaſque bibliothecas totque literarum do-

domicilia, tantum laborem, curam, pecuniam impenderunt. Quid commemorem ampliſſimam eam Alexandrinam bibliothecam? Quid Attalicam? Quid Græcas omnes? Quid Romanas, tum veteres, tum recentes? Hoc autem memoratu digniſſimum eſſe puto, primam apud Romanos bibliothecam publicam inſtructam fuiſſe in atrio templi Libertatis: quo ſignificari voluit nobilis et eruditus * ſenator, qui atrium refecit, et eam bibliothecam dicavit, ibi ſolum eſſe literis locum, ubi libertati eſt locus. Hujus viri, et horum omnium memoriam, horum verò præcipuè, qui hanc Academiam, qui tantam congeriem librorum, qui diſciplinam noſtram tam pulchrè et præclarè fun-

* Asinius Pollio, vir doctus, et præclarus orator, *primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit*, Plin. L. 35. C. 2. Hanc autem bibliothecam concinnavit, et inſtruxit in atrio templi Libertatis; quod quidem atrium ad hunc uſum magnificenter refecerat. Dedicatum eſt atrium Libertatis Idibus Aprilibus. Idibus Aprilibus dedicata eſt bibliotheca Radcliviana: quod in ſecundum omen, tempore minùs formidoloſo, eſſet accipiendum.

datam

datam nobis reliquerunt, ſemper inviolatè ſervemus; ut quos ornamenta ſui ſeculi, et decora humani generis, et illuſtriſſimos orbis heroas eſſe confiteamur; ſemper quidem anteferendos heroibus iſtis, exteris ſcilicet (noſtros enim, uti par eſt, ſemper excipio) qui quum cæde hominum et everſione urbium maximè delectentur, et non modò hoſtibus ſed ſuis moliantur exitium, inde tamen nomen et gloriam quærunt; et ſanè expectant, poſtulantque, ut ſummâ obſervantiâ, etiam ſumptuosè, ab omnibus colantur.

Hoscine ut colat populus? Hoſcine verò ut nos Oxonienſes colamus? qui celeberrimæ huic Academiæ, cujus honori invident, et literis ipſis, quas neſciunt, ſunt inimiciſſimi; qui antiquiſſima hujus loci monumenta ſpoliare, in poſſeſſiones noſtras irruere, et pulcherrima hæc ædificia in

equorum ſtabula convertere optarent. Quàm me pudet igitur turpis iſtius oratorum et poetarum aſſentationis, quæ in heroicis iſtis ætatibus, et in omnibus ætatibus, tales viros, immanitate naturæ inſignes, ſemideos fecit et prædicavit; quos ego quidem, et mecum ſentiunt boni omnes, vix unquam animum induxi, ut homines putarem!

At quid ſi hi glorioſi milites, Alexandri et Cæſares, id eſt, perpetuò victores fuerint? Fuerint ſanè: nihil muto de ſententiâ meâ. Quo enim bello opima præda et principum gloria, non imperii populique ſalus fuit propoſita, quo bello florens reſpublica aut libera civitas ab iis, quos nullis laceſſivit injuriis, fuit exterminanda, id iniquiſſimum duco et ſceleratiſſimè ſuſceptum. Quid eſt enim, ſi hoc non eſt ſcelus? Atque adeò nunc quum in animo cogito, quæ res modò geſtæ ſint in omnibus Eu-

ropæ regionibus, quum animo contemplor tot munitas et expugnatas urbes, tot incendia et vaſtationes, tot pugnas et rapinas, tot denique millia hominum cæſa quotannis, ſine ullâ dubitatione ſic ſtatuo: Qui primus invenit, quo artificio fingatur olla fictilis, aut texatur qualus vimineus, eum multò meliùs meruiſſe de omnibus gentibus, quàm omnes duces (niſi qui pro patriâ pugnaverint, quales ſunt noſtri; et quos id propterea libenter ſecerno) quam omnes, inquam, duces, imperatores, etiam victores, qui nunc ſunt, quique fuerunt. Porrò autem mecum reputanti, quid vox veneranda, quid lex cœleſtis domini noſtri Jeſu Chriſti præceperit, ſanè mihi videntur hi bellicoſiſſimi heroes terrarumque domini nihil dilexiſſe præter ſemetipſos, omnia metuiſſe præter deum.

Sed ad me revertor, ne fortaſſe mihi excidat,

quod

quod RADCLIVIO noſtro ſummo quidem honori fuiſſe arbitror; nimirum, quòd extrema vitæ tempora, quæ nos ſenes nobis debemus, quæ otio et quieti, ille impertivit patriæ; et, cùm nullâ impulſus eſſet ambitione, aut ſpe honorum (quos ſanè contemnebat omnes) ita ſe geſſit in republicâ, ut ſemper eſſet meliorum partium, et nunquam non ſerviret libertatis cauſæ et dignitati ſuæ. Tum verò de civibus ſuis optimè meruit, poſtquam in eum cooptatus eſt ſenatum, atque iis interfuit conſiliis, quæ orbi Chriſtiano, bellis jam fatigato, pacem æquiſſimam, honeſtiſſimam ac nobis utiliſſimam redderent, conficerentque. Et ſæpiſſime mihi gratulor me vixiſſe illis temporibus, quum neminem hominem Britannum puderet ſeculi; quum curia patrum eſſet ſanctiſſima, et ſummâ auctoritate prædita, et non tam publicum gentis concilium, quam tutela et ſalus.

DUM enim Britannis antiqua manebat frugalitas et diſciplina, atque ardens libertatis conſervandæ ſtudium, ceteræ hujus inſulæ civitates idem ac vos, ACADEMICI, de ſenatoribus eligendis ſibi cavendum et providendum cenſebant; diligenterque perpendebant, qui et quales eſſent candidati, quo genere et loco nati, quo educati more, quibus ingenii, quibus patrimonii facultatibus, maximè verò quo animo eſſent in rempublicam; nequis minùs aptus ad hoc ornatiſſimum munus deligeretur, qui præmiis aut ſpe præmiorum, qui blanditiis aut minis potentium commoveri, atque à caritate patriæ flecti, et deduci poſſet.

NUNC verò, quàm immutata ſunt omnia! quàm nullum habet populus corruptiſſimus pudorem, nullam omnino priſtinæ ſuæ majeſtatis aut ſalutis communis rationem! Qui ſuffragia ſua, ſæpe etiam

am et perjuria ſua, tam palam atque apertè vendit, quàm qui piſces et carnes in macello vendunt. Si quæritis, quid ſit cauſæ, quamobrem plebs noſtra ita turpiter ſe inverterit, uſque adeò degeneraverit ab inſtitutis et gloriâ majorum, uno verbo reſpondeam, LUXURIES; quæ à domo ſuâ ad omnes ordines hominum, etiam infimos manavit; et unde nata eſt ea mollities et inertia animi vix quidem in fœminis reperienda, ea crudelitas et carnificina neutiquam ſanè in exteros hoſtes exercenda.

HINC in oppidis, in agris, ad minima, ad maxima voluntati divitum obtemperatur. Hinc in eam amentiam inciderunt aliquarum urbium incolæ, ut quos improbiſſimos et patriæ infenſiſſimos ducebant, iis ſe totos tradiderint. Hinc et iſti ſanè mirifici cives, qui ſe præ ceteris candidos, pios,

etiam

etiam insuper eloquentes haberi vellent, et fortasse sunt habiti, pudore omni jam extincto, vultus, animos, sermones, quasi Circæâ virgâ percussi, subitò mutârunt.

HINC —— PLURA paranti dicere et volenti (non tam more senum, quam quòd nihil est jucundius, quàm vera dicere) mehercule pertimescendum est, ne vocem mihi eripiant immanissimi lupi,

Et me VIDERE PRIORES *;

detestabiles scilicet isti delatores, qui ita res nostras modò turbârunt, ut suâ cum infamiâ Academiæ dedecus conjungere sperarent; quod tamen effici, nisi summâ perfidiâ, non potest. Quòd clarissimum Vicecancellarium accusaverint, atque ita quidem, ut haud sit gravius ullum supplicii genus, quàm ea ipsa accusatio, id dolere ma-

* *Vox quoque Moerim*
Jam fugit ipsa : LUPI *Moerim videre priores.* Virgil. Ecl. ix.

gis,

gis, an ei gratulari debeam, haud ſatis ſcio. Videtur enim fortuna hunc excellentem hominem ab initio tot malis exercuiſſe, ut virtutes ejus ſpectatiores forent. Si quæ enim res aliæ, certè equidem adverſæ virum magnum faciunt, oſtenduntque.

At, ne miremini unde tales viri et omnes calumniatores noſtri patrocinium invenerint, aut quâ ratione quoſdam purpuratos ad amicitiam ſuam adjunxerint; eſt curæ pretium intelligere, hos et illos, diſſimili ſint quamvis ordine et fortunâ, vitâ tamen et moribus eſſe quàm ſimillimos. Præterea autem non poteſt fieri, quin ii, qui liberalem doctrinam virtutemque ipſam ſemper malè oderunt, haſce ſedes, liberali omni doctrinâ et virtute ornatiſſimas, apertè oderint. Non poteſt fieri, quin ii, qui flagitiis ſuis ſummum dedecus genti imprimere ſtatuerunt, inclytam hanc Academiam,

miam, ſummum gentis decus atque gloriam, omnibus contumeliis imprimis lacerandam eſſe cenſeant.

Ad hæc quoque mala accedit, quòd non ſolùm iſti omnes, qui deficiunt à republicâ, illico ab Academiâ deficiunt; non ſolùm ii, qui communibus ſtudiis, officiis et periculis nobis conjunctiſſimi eſſe debent, jam turpiter cauſam noſtram deſerunt; verùm etiam complures in ſinu almæ matris noſtræ educati, quique quotidianis ejus fructibus aluntur et creſcunt, eam tamen, ut viam ſibi muniant ad opes et honores adipiſcendos, mente infideliſſimâ et paricidali aggrediuntur: qui, peſtes hominum, faciunt, ut gratulationes laudationeſque, quas ex more nos decernimus ſive ad præſtandum officium, ſive ad ineundam gratiam, fruſtra ſint, repudientur, etiam lo-

co

co criminis putentur : qui denique nefariis ſuis conſiliis, concionibus, falſimoniis, et famoſis epiſtolis adjuvant, augentque eorum omnium, qui inſitas et apertas inimicitias nobiſcum gerunt, ſcelus et inſaniam.

At non eſt hodie ſpatium de pravitate horum hominum et injuriis conquerendi, ac permittendi vela dolori meo. In iis igitur libris, quibus Academiam defendere cogito, modò mihi ſuppetat vita, in acerrimos iſtos adverſarios, et obtrectatores noſtros ſtudioſiùs et liberiùs inquiram. Quo enimverò liberalis viri, Academici præſertim, fungar officium; gratum quid præterea (id quod ſpero) divino numini facturus. Qui enim, cùm optimas artes aſpernantur, tum optimorum virorum famam et exiſtimationem impudentiſſimis mendaciis probriſque omnibus auſi ſunt violare,

eos non tam hominibus, quàm deo ipſi inimiciſſimos eſſe arbitror.

NUNC verò, ſiqui hic adſunt, urbanioris notæ homines, quibus oratio mea intempeſtiva videatur, aut de recto itinere paululùm declinâſſe, (etſi quæ eſt ea declinatio, quæ causâ patriæ, aut causâ Academiæ facta eſt?) ſciant iſti, hæc quidem minimè prætereunda ideo me exiſtimâſſe, quia quæ conſilia aut horum ambitio, aut illorum aſſentatio, aut venalis populi avarities malè excogitaverit, ea omnia vos, CLARISSIMI VIRI, VOS, RADCLIVIANI teſtamenti curatores, quæ veſtra fuit pietas et prudentia et laus maxima, fortiter oppugnaviſtis; ea omnia, quæ veſtra eſt animi conſtantia, ſemper oppugnaturi.

QUOD ſi neque vos, neque ſocii veſtri quid pro-

profeciſtis ſuffragiis, querelis, expoſtulationibus, virtute, aut authoritate veſtrâ, id quidem, non præclaris noſtris reipublicæ cuſtodibus, (quos ego ſanè quàm diligenter obſervo omnes) ſed difficillimo huic tempori, et ſeculi moribus et vitiis, et invido cuidam et ſiniſtro fato aſſignari oportet.

Sive enim exterorum hoſtium furor, et fortuna, et politica calliditas ita omnia everterunt, ſive alii homines eâ temeritate et arrogantiâ rerum habenas rexerunt, ut totum noſtrum primùm inflammârint, deinde ſpoliârint orbem; hunc reficere, et reſtaurare non eſt novorum conſiliorum, non eſt optimorum, non eſt, profectò non eſt humanarum virium. Dei ſolius ope tot malis, tantæque ruinæ poteſt ſubveniri.

QUAPROPTER, quoniam in hunc ſtatum planè pervenimus, ut nihil niſi preces et vota res noſtras adjuvare, aut nobis ſupereſſe videantur, quo honeſtiſſimum finem et ipſe ſermoni meo faciam, et vos præſens et præclarum exemplum pietatis veſtræ prodatis, ad ea confugiamus *.

* Hucuſque orationem hanc excudendam curavi, quum gravis mihi allatus eſt nuntius clariſſimum *Baronettum*,

WATKIN WILLIAMS WYNN,

(cujus venerabile nomen in fronte hujus opuſculi eſt inſcriptum, quemque vos, RADCLIVIANI teſtamenti curatores, conſiliorum, laudum, et omnium rerum veſtrarum ſocium habuiſtis) diem ſuum obiiſſe, etiam acerbiſſimâ morte eſſe affectum.

EHEU! QUALIS VIR, ET QUANTUS INTERIIT!

Quàm illuſtre pietatis veteris exemplum! quàm diligens libertatis publicæ propugnator! quàm fortis, quàm paratus Academiæ noſtræ defenſor et patronus! Qui ex iis erat, (ô tempora! quæ eorum paucitas!) qui virtutem propter ſeipſam expeteret, et ſplendoris aulici inſignia, titulosque omnes, cùm omnibus tamen par erat, recuſaret. Omnes; niſi quos recuſare neutiquam poſſet: quos populi ſcilicet vox æquiſſima magnis ejus meritis detuliſſet, graviſſimorum civium ſententia comprobâſſet. Siquidem perfecerat inclytus hic ſenator incredibili magnitudine animi et conſilii, et perpetuis in rempublicam ſtudiis officiiſque (à quibus quid aliquando boni ſperandum non oportebat?) ut REIPUBLICÆ PARENS, ac PATRIÆ PATER verè diceretur. Perfecerat raris naturæ et ingenii dotibus, æquabilitate et elegantiâ vitæ, et eximiis ſanè moribus (eo enim nihil probius, caſtius, comius, verecundius, liberalius) ut non tam regionis ſuæ, aut gentis unius, quam GENERIS HUMANI DECUS

REDEAT (neque me fugit hoc verbum meum, quippe meum, ab inficetis et malevolis viris improbari; iterandum eſt tamen) REDEAT nobis Aſtræa noſtra, aut quocunque nomine malit vocari ipſa Juſtitia; non quidem fabuloſa illa, ſed Chriſtianiſſima virgo, ſi non genetrix, certè equidem cuſtos virtutum omnium!

DECUS foret. Quo minùs mirum eſt, ſi eum gratiæ et dignitatis gradum, atque id quidem faſtigium teneret privatus, quod nemo hercle ſatraparum, pontificum, aut principum quiſquam.

EHEU! QUALIS VIR, ET QUANTUS INTERIIT!

Quem patremfamiliæ nunc requirit domus ſua! quem hoſpites hoſpitem! quem ego amicum! quàm firmum, facilem, jucundum! Cujus mors ſemper deflenda, cujus laudes ſemper celebrandæ, cujus memoria ſemper mihi ſacroſancta erit: mihi, inquam, et omnibus omnium ordinum, ampliſſimorum, infimorum. Qui enim haud quemquam unum vivus habuit inimicum, niſi qui huic reipublicæ, et Britanno nomini eſſet inimiciſſimus; ejus fato haud quemquam unum puto lætari poſſe, niſi qui homo ſit flagitioſiſſimus, atque ita ferreus et inhumanus, ut cunctarum rerum everſione, et universâ pereunte naturâ lætaretur. At hoc tamen et mei, et publici luctûs acerbitatem quodammodò levare poteſt (ſiquid poteſt) quòd civis hic excellentiſſimus deceſſit integrâ famâ, atque optimæ mentis conſcientiâ fretus; felix etiam (quippe in ipſo cuncta inerant ad honeſtè et beatè vivendum) uſque ad extremam vitæ horam. Atque adeò, tot jam imminentibus procellis, qui deum ſanctè et aſſiduè eſt veneratus, eum profectò deus videtur ex improviſo eripuiſſe, ut in tuto ac tranquillo portu collocaret; utque, magnorum ſcelerum qui conſtantiſſimè noluit eſſe particeps, eorum ne quidem teſtis eſſet futurus.

REDEAT

REDEAT ſimul magnus ille Genius Britanniæ, (ſive is ſit nuncius, ſive ſit ipſe ſpiritus dei) firmiſſimum libertatis et relligionis præſidium; amandetque procul (ô procul!) à civibus noſtris graſſationes, cædes, rapinas, peſtilentes annos, ſuperbas dominationes, infames delatores, et mala omnia!

REDEAT, efficiatque, ut revireſcat reſpublica, revocetur fides, firmetur pax, ſanciantur leges juſtæ, honeſtæ, ſalutares, utiles, quæ deterreant improbos, coerceant milites, faveant doctis, ignoſcant imprudentibus, ſublevent egenos, delectent omnes; omnes nunc demum à periculis litium ita liberando, ut nequis omnino unquam civis ingenuus, innocens, indemnatus vexetur, multetur, ſpolietur *!

* O! honoratum, ſemper et honorandum prudentiſſimi illius regis Boruſſiæ nomen! qui ſe et auctoritatem ſuam interponendo, ſpem omnem et litigandi licentiam præcidit; ſuoſque populos, et provincias omnes, quæ in ejus ditionem venerunt, ſalutari ſuâ manu liberavit ab iſtis

REDEAT, efficiatque, cùm nihil hôc conventu cernere eſt illuſtrius, ut cæterì cives, et ii maximè ſcilicet, quibus aula et curia patet, pares ſint * honeſtiſſimis hiſce ſenatoribus, pares ſint vobis, ACADEMICI, ſi non ingenii et doctrinæ gloriâ, at probitate et induſtriâ, at magnitudine animi, at libertatis ſtudio! Ut fœminæ omnes ſint quàm ſimillimæ præſtanti huic Nympharum cohorti, ſi non ſpecie et pulchritudine oris, at pudicitiâ et ſanctimoniâ, at corporis cultu, at morum elegantiâ! Ut deinde populus noſter univerſus ſit laborioſiſſimus ac temperantiſſimus, et aliquando tandem cum bonorum conſiliis conſentiat ad conſervandam imperii majeſtatem: utque

iſtis hominum peſtibus, quæ mehercules magis ſunt metuendæ, quàm barbarorum exercitus, aut innumerabilia ea locuſtarum agmina, quæ Germanorum agros hodie deprædantur.

* Frequentiſſimum erat theatrum, et plurimi tum ultro aderant viri nobiles, et ſenatores omnium, quos vidimus, ornatiſſimi; qui ab almâ Academiâ, propter ſingularem ſuum erga patriam amorem, Doctores in Jure Civili ſunt creati, honoris causâ.

Britannia noſtra non tam ſuo mari, et claſſibus pulcherrimis inſtructiſſimiſque, (etſi his ipſis utinam uſque valeamus!) quàm incolarum robore ac virtute, et ſummâ rerum gerendarum prudentiâ muniatur!

Redeat, efficiatque, ut in omne ævum alma hæc floreat Academia, uſque adeò, ut nihil eâ uſquam gentium ſit florentius, nihil præſtabilius! Ut juvenes noſtri ſint modeſti, frugi, ſtudioſi; ſenes ſint docti, graves, honeſti; neque hi, neque illi aut pravis opinionibus, aut divitiarum et honorum admiratione corrumpendi! Ut ſenatus hic Academicus ſemper ſervet conſtantiæ famam et tenorem ſuum; atque ab omni adulationis ſpecie, fœdiſſimâ ac nefariâ præſertim, omnino abhorrens, nihil cenſeat, aut temporum metu, aut aliorum more, bonis et ingenuis civibus indignum! Ut quandocunque

que Cancellario noſtro, nobiliſſimo atque optimo viro ſuccedatur, (ſerò utinam!) nequem nobis adſciſcamus dominum ſuperbum, immitem, avarum, indoctum, impium; ſed præfectum facilem et benignum, literis à pueritiâ deditum, rerum noſtrarum imprimis ſtudioſum, et cùm inclyto prognatum genere, tum virtutibus ac moribus ſuis genus exſuperantem! Ut Vice-cancellarii munus ſemper deferatur viro ſancto, comi, erudito, firmo, (qualis præeſt hujus diei negotiis) qui partes officii ſui cumulatè impleat, et Academiæ dignitatem et ſuam ſuſtineat, ac tueatur! Ut, fractis aliquando perditorum hominum conſiliis, nequis in hoc loco, aut in ullo loco cum eâ poteſtate verſetur, eoque ſit infenſo animo, ut graviores plagas, nimiumque oneris nobis imponat; nedum jura noſtra aut ipſe violare audeat, aut alios ad ea violanda hortetur! Ut nequis deni-

que ambiat, aut aſſequatur Academicos honores, niſi qui fidem, diſciplinam, liberalitatem, literas et literatos diligentiſſimè colat; niſi qui, cùm optimè conſulat, navetque operam reipublicæ, tum præcipuè Oxoniam noſtram officiis et beneficiis omnibus augere, et ornare ſtudeat!

FINIS.



BRITISH
8 JY75
MUSEUM